

jure suspecte, castellum Antiochiæ tenendum committat, donec in judicio de justitia cognoscatur, ut ei tandem illud assignasset pro quo fuerit justa sententia promulgata, provisus sibi expensis a partibus ad ipsius castelli custodiam opportunis, et promissione sibi a magistris Hospitalis et Templi solemniter facta quod eum ad custodiendum ipsum castellum pro posse juvabunt.

Nos enim, actore Deo, virum a latere nostro disposuimus destinare qui sine acceptione personarum et munerum de causa ista cognoscat, et eam sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo prævia ratione decidat. Unde Serenitatem tuam rogandum duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus cum præfato Comite treugam in eas et observes, ut præscripta possint discrimina evitari. Sicque Templarii, de quibus valde conquereris, a tua offensione cessabunt, dummodo tu illos desistas offendere, ac de castro Gaston postulatam sæpe justitiam non deneges exhibere. Hæc est enim causa præcipua quam contra te habere videntur, quod videlicet castrum illud eis restituere contradicis, nec etiam vis de illo eis exhibere justitiam sæpe monitus et rogatus a nobis. Unde cum vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittant, ab iis maxime qui vim repellendo irregularitatem non contrahunt, cum clerici non existant, videtur plerisque quod contra te offendentem se possint defendere tibi que impugnanti valeant repugnare: præsertim cum illa eis subtrahas violenter per quæ consueverunt et debent expugnare paganos; cumque tu castrum illud contra eos detineas et defendas, mirabile non videtur si ipsi contra te Antiochiam manutexeant et defendant, in cujus pertinentiis non minimam obtinent portionem, cum longe illud sit defendere quam offendere, ac repugnare sit quam impugnare diversum. Fatentur enim hoc quoque sibi ex indulgentia bonse mæmoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri licere, postulantes id ipsum a nobis in instanti sibi necessitatis articulo indulgeri, alioquin plures ex ipsis Terram Sanctam se asserunt relicturos. Quos tamen blande studuimus consolari, volentes ut, si super datum fuerit, inter te et illos firma concordia reformetur; quia, cum sint viri strenui et potentes, multum tibi et prodesse possunt et, quod Deus avertat, obesse. Monemus ergo Celsitudinem tuam, quam sincere dilectionis brachiis amplexamur, et exhortamur in Domino quatenus ad ea que prædiximus pium habeas cum devotione respectum. Nec putes quod illa dixerimus in favorem præfati Comitum, qui per illud horribile facinus quod in patrem et dominum suum inique commisit favorem demeruit, nec ob gratiam Templariorum, quos magis volumus in suæ religionis puritate persistere quam adversum te hostititer dimicare; sed prudenti consilio ista pensavimus